An. et vol. XXXXIV 10 Martii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Apostolica, p. 153 - Adhortatio radiophonica, p. 158 - Constitutiones Apostolicae, p. 163 - Litterae Apostolicae, p. 176 - Epistula, p. 182 - Allocutio, p. 184.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 187 - *S. C. de Propaganda Fide*: I. II. Decreta, p. 189. III. Provisio Ecclesiarum, p. 190. IV. Nominationes, p. 192. V. Designatio pro appellatione, p. 192 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 193.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze - Necrologio, pp. 197-200.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M·DCCCC·LII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIV; n. 3 – 10 Martii 1952)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

PAG.

Cupimus imprimis. – Ad Venerabiles Fratres ac dilectos filios Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios ceterumque Clerum ac populum Sinarum, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. – 18 Ianuarii 1952 153

ADHORTATIO RADIOPHONICA

Urbis christifidelibus data, die decima Februarii mensis anno MCMLII . . 158

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. CACERENSIS (Legaspiensis et Sorsogonensis). *Quo in Philippina Republica.* – E tripartito dioecesis Cacerensis territorio duae novae dioeceses eriguntur, Legaspiensis et Sorsogonensis nomine; quatuor insuper Provinciae Ecclesiasticae in Insulis Philippinis constituuntur. – 29 Iunii 1951 163

II. SHILLONGENSIS (Dibrugarhensis). *Ad christianam plebem.* – Dioecesis Shillongensis territorium bipartitur et nova erigitur dioecesis, Dibrugarhensis nuncupanda. – 12 Iulii 1951 . . 167

III. MINDORENSIS (Calapanensis). *Merito ab Apostolica Sede.* – Praefectura Apostolica Mindorensis in Vicariatum Apostolicum, Calapanensem deinceps appellandum, extollitur. – 12 Iulii 1951 170

IV. NEO PAMPILONENSIS et SANCTAE MARTHAE (Bertraniae in Catatumbo). *In nimium.* – Territorii partes a dioecesibus Neo Pampilonensi et Sanctae Marthae seiunguntur et nova erigitur Praelatura « nullius » Bertraniae in Catatumbo. – 1 Augusti 1951 171

V. CZESTOCHOVIENSIS. *Peropportune.* – Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia erigitur. – 5 Augusti 1951 . 174

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Maxima.* – Basilicae Minoris honoribus ac privilegiis afficitur curiale Templum Sancti Sepulchri in civitate et dioecesi Barolensi exstans. – 27 Aprilis 1951 176

II. *Tot in periculis.* – Sancta Veronica a Iulianis, virgo, utriusque dioecesis Urbaniensis et Sancti Angeli in Vado Patrona caelestis declaratur neque principalis respective cum Sancto Christophoro et Sancto Michaële Archangelo. – 11 Maii 1951 178

III. *In summo colle.* – Ecclesia Beatae Mariae V. in Caelum Assumptae sacra, in monte « Crea » intra Casalensis dioecesis fines, Basilicae Minoris titulo ac privilegiis cohonestatur. – 15 Maii 1951 179

IV. *Militaris virtus.* – Sanctus Martinus, C., Episcopus Turonensis, totius italici peditatus apud Deum Patronus renuntiatur. – 21 Maii 1951 . . . 181

EPISTULA

Haud mediocri. – Ad Revmum P. Arcadium Larraona, S. Congregationis de Religiosis a Secretis, commentarii « Monitor ecclesiasticus » appellati, moderatorem: septuagesimoquinto revoluto anno ab eiusdem commentarii ortu. – 25 Decembris 1951 182

ALLOCUTIO

Ad novum Legatum Chilensis Reipublicae. 29 Ianuarii 1952 184

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 187

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. *Soeliüenensis.* – Decretum. Archidioecesis Soeliüenensis Clero saeculari sinensi concreditur. – 19 Augusti 1951 189

II. *Agraensis-Lucknovensis.* – Decretum. De mutatione finium dioecesium. – 8 Novembris 1951 190

III. Provisio Ecclesiarum 190

IV. Nominationes 192

V. Designatio pro appellatione 192

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Armachan.* – Decretum reassumptionis causae pro canonizatione Beati Oliverii Plunket, martyris, Archiepiscopi Armachani Hiberniae Primatis. – 27 Iulii 1951 193

II. *Dertosen.* – Decretum introductionis causae pro beatificatione Servae Dei Rosae Molas Vallvé, Fundatricis Congregationis a Nostra Domina Consolationis. – 27 Iulii 1951 194

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 197

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 197

III. Necrologio 200

An. et vol. XXXXIV 10 Martii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

AD VENERABILES FRATRES AC DILECTOS FILIOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS CETERUMQUE CLERUM AC POPULUM SINARUM, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres ac dilecti filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cupimus imprimis impensam profiteri vobis benevolentiam Nostram erga Sinarum gentem universam, quae inde a remotissimis temporibus et rebus gestis, et litterarum monumentis, et humanae culturae fulgore inter ceteros Asiae populos enituit, quaeque, cum Evangelii lumen, saeculi sapientiam in immensum exsuperans, ipsi illuxit, maiora inde hausit animi ornamenta, christianas nempe virtutes, quae civiles perficiunt atque confirmant. Nullis siquidem doctrinis, quae verae doctrinae sint, nullis privatae publicaeque vitae institutis — quae iustitia, libertate, caritate regantur — catholica, ut probe nostis, repugnat religio, sed eadem potius provehit, erigit, adauget. Ipsa enim peculiare singulorum populorum ingenium, peculiaremque indolem, artem humanitatisque cultum, non respuit nec renuit, sed studiose amplectitur; iisdemque quasi amicta varietatibus libentissime exornatur.

Quamobrem summo Nos maerore affecti sumus, cum comperimus Catholicam apud vos Ecclesiam quasi inimicam genti vestrae haberi, describi, impugnari; eiusque sacrorum Antistites, ceteros administros ac religiosos religiosasque sodales saepius, proh dolor, vel e sua deturbari sede, vel a suis muneribus libere obeundis prohiberi, quasi eadem non caelestibus rebus, non animis virtute conformandis roborandisque,

non mentibus in litterarum ludis ac scholis collustrandis, non humanis denique doloribus in valetudinariis, in infantium, puerorum senumque hospitiis relevandis solandisque inserviat, sed terrenis potius utilitatibus ac terrenae dominationis studio.

Hac de causa, quamquam in recens datis Encyclicis Litteris, quibus initium « Evangelii praecones », omnes allocuti sumus christifideles, qui in extremis orientalis orbis partibus multa idcirco passi sunt ac patiuntur, quod fuerunt ac sunt religionis suae tenacissimi; ad vos tamen iterum patet cor Nostrum, vosque peculiari modo per has litteras affari cupimus, vos solari, vos paterno adhortari animo, probe noscentes angustias, anxietates adversitatesque vestras. Ac quandoquidem non minus Nobis cognitum est qua firma fide, qua studiosa erga Christum eiusque Ecclesiam pietate flagratis, gratias agimus Deo Patri per Unigenam Filium suum nostrumque Divinum Redemptorem, qui supernam vobis vim praebuit ac praebet ad sancta certanda certamina pro sua gloria animorumque salute.

Ad vos e quavis terrarum orbis parte catholici omnes mentem animumque admirabundi convertunt; « fides vestra annuntiatur in universo mundo »;[1] atque illud etiam vobis Apostoli gentium convenit: « Tentati sunt... egentes, angustiati, afflicti; ...quibus dignus non erat mundus ».[2] Non dedecori igitur, sed gloriae vobis vertitur, si « vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini ».[3]

Quoniam autem Dei causa agitur eiusque Ecclesiae sanctae, « in nullo terreamini ab adversariis »;[4] sed fortes estote illa quidem animi fortitudine, quae non humanis opibus, sed divina gratia innititur, supplicibus impetrata precibus. Ac vestras angustias, dolores angoresque vestros suave quasi holocaustum Deo offeratis, ut velit tandem ipse benignus pacem, tranquillitatem libertatemque Sinarum Ecclesiae dilargiri, omnibusque suadere — quod ceteroquin sole splendidius refulget — eam non terrena, sed superna quaerere, omnesque suos asseclas pro officio suo ad caelestem patriam per adipiscendas virtutes probeque facta convertere ac dirigere.

Non desunt quidem — ut omnes norunt ac facile cernunt — qui terreno dominatu potiri conentur, eumdemque cotidie magis dilatare atque augere; at non id aucupatur, non id petit Ecclesia. Ea siquidem evange-

[1] *Rom.* 1, 8.
[2] *Hebr.* 11, 37-38.
[3] *Phil.* 1, 29.
[4] *Ibidem.* 1, 28.

licam veritatem propagare studet; qua profecto veritate animos exornat hominum, eos meliores efficit caeloque dignos, fraternam civibus concordiam conciliare contendit, miseros pro facultate solatur ac relevat, ipsaque humanae societatis fundamenta christianis virtutibus, quibuslibet armis validioribus, solidat atque confirmat. Qui eam amplectuntur, nemini cedunt in patria caritate; publicae auctoritati ex officii conscientia ac secundum Dei normas obtemperant; debita omnibus reddunt, imprimis sempiterno Numini. Ea non unum populum, non unam gentem ad se advocat, sed omnes cuiusvis generis, cuiusvis stirpis homines superna illa Christi caritate diligit, qua singuli universi fraterna invicem necessitudine inter se coniungantur oportet. Quamobrem nemo asseverare potest eam peculiari imperio ac dominatui servire; parique modo fas non est ab ea petere, ut diffracta unitate, qua Divinus ipse eius Conditor eam insignitam voluit, ac disiunctis in unaquaque Natione constitutis Ecclesiis, eaedem ab Apostolica hac Sede, ubi Petrus Iesu Christi Vicarius in successoribus suis ad saeculorum usque obitum vivit, misere abstrahantur. Quilibet christianorum coetus id fecerit, veluti palmes a sua vite abscissus arescet,[5] neque salutares poterit edere fructus.

Haec vos, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, optime nostis; atque adeo id genus insidiis, etsi callidis, etsi obtectis, etsi veritatis specie fucatis, firmam opponitis voluntatem vestram. Neque vobis ignotum est ea solummodo de causa ad vos esse ab exteris Nationibus missos Evangelii praecones, ut, nempe immensis gentis vestrae necessitatibus, ad christianam religionem quod attinet, consulant, cleroque indigenae, qui adhuc iisdem necessitatibus impar numero est, adiutricem operam navent. Quamobrem, vixdum Apostolica haec Sedes potuit Dioeceses vestras sacrorum Antistitibus concredere, qui cives vestri essent, id fecit libentissime. Quintus enim ac vicesimus revolutus est annus, ex quo Decessor Noster fel. rec. Pius XI, pro sua in Sinarum Ecclesiam flagranti caritate, primos Episcopos sex, vestra ex gente delectos, in Petrianae Basilicae maiestate ipsemet consecravit; ac Nosmet ipsi, cum nihil antiquius habeamus, quam ut Ecclesiae vestrae incrementa constabiliantur fiantque maiora in dies, paucis ante annis Ecclesiasticam Hierarchiam in Sinis rite constituimus; ac civem vestrum, primum in historiae annalibus, Romanae Purpurae dignitate insignivimus.

Quodsi petitur ut omnes Evangelii satores, qui dilecta patria cuiusque sua derelicta, suis laboribus apud vos suisque sudoribus dominicum excoluere agrum, e regionibus vestris, tamquam iisdem infesti, abi-

[5] *Cfr. Io.* 15, 6.

gantur, res profecto petitur non modo ingrata sed ipsi etiam succrescenti Ecclesiae vestrae damnosissima. Idcirco quod non unius ex exteris Nationibus iidem cives sunt, sed ex multis, immo ex omnibus deliguntur, ubicumque catholica religio iam floret christianique apostolatus studium vigescit, patet omnino Catholicam Ecclesiam peculiari nota sua universalem esse atque hos Evangelii praecones nihil aliud quaerere, nihil optare magis, quam ut terram vestram quasi alteram patriam amplectantur, eamque christianae doctrinae lumine collustrent, christianis moribus informent, superna caritate adiuvent, ac pedetemptim, adaucto tandem apud vos indigenarum clero, ad plenam illam maturitatem perducant, qua quidem socia et adiutrice exterorum Missionalium opera iam non indigeat.

Neque minus perspectum esse debet probis omnibus sacras virgines, quae apud vos etiam in litterarum ludis, in pupillaribus domibus, in valetudinariis infirmorumque hospitiis, veluti solatores angeli, operam praestant suam, divino illo amore duci, quo, terrenis nuptiis posthabitis, ac caelesti Sponso coniunctae, filios vestros, pauperculos praesertim ac derelictos, quasi filios sibi sumant, ac superna quadam suavique maternitate pro viribus eos alant, recte instituant atque educent.

Haec omnia agit, ut probe nostis, Catholica Ecclesia ex Divini Conditoris sui iussu atque mandato; haec agit, dicimus, neque aliud petit, nisi ut debita apud omnes libertate fruatur, qua possit munera explere sua in ipsius populi bonum salutaremque utilitatem. Quodsi calumniis falsisque criminationibus insimuletur, sacri eius Pastores eiusque asseclae animo ne concidant, sed Iesu Christi pollicitationibus fidentes innitantur, quae sollemnibus hisce declarantur verbis; « Portae inferi non praevalebunt adversus eam »[6] « et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi ».[7] Quin immo pro insectatoribus ipsis incensissimas ad Deum preces admoveant, ut velit ipse benignus sua luce ac flexanima gratia sua eorum mentes collustrare et permovere, easque ad supernas convertere veritates. Haec vos agere pergite, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, nullis periculis, nullis difficultatibus territi, sed excelsae illius Divini Redemptoris sententiae memores: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt ac sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur... Beati estis vos, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces

[6] Matth. 16, 18.
[7] *Idem*. 28, 20.

vestra copiosa est in Caelis ».[8] Quemadmodum primaeva aetate Apostoli « ibant gaudentes... quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati »,[9] ita vos omnes ne terreamini, sed oculis, mentibus, animisque ad Caelum conversis, superna illa afficiamini laetitia supernisque solaciis, quae ex proba conscientia oriuntur, firmaque spe foventur sempiterni praemii.

Iam alias per temporum decursum Ecclesia vestra insectationes sustinuit ac toleravit acerrimas; iam sacro martyrum cruore terrae vestrae purpuratae fuere; attamen vos illud iure meritoque vobis iterare potestis: « Plures efficimur, quoties metimur...; semen est sanguis christianorum ».[10] Utique, ut omnes cernunt, humana omnia, sive tristia, sive laeta, sive debilia, sive potentissima, serius ocius dilabuntur; at ea, quam Christus Dominus condidit, societas ad occasum usque saeculorum per ardua et aspera, per insidias ac per triumphos, per certamina ac per victorias, aeterni Numinis ductu suum iter pergit, suoque pacifico ac salutari munere fungitur: oppugnari etenim potest, vinci non potest. Divinitus igitur datis promissis firmo animo confisi, nihil timeatis: quemadmodum post tempestates ac procellas iterum sol affulget, ita Ecclesiae vestrae post tot rerum angustias, perturbationes, dolores pax, tranquillitas, libertas tandem aliquando, Deo favente, illucescent. Interea vero una cum vestris precibus et Nostrae et christifidelium omnium supplicationes impensissime arctissimeque coniunguntur; ac suavi quasi vi facta, a misericordiarum Patre contendunt ut quam primum et quam felicissime haec eveniant.

Id impetrent, praecamur, ii sancti Martyres, qui iam maioribus vestris invicto fuere exemplo, quique in Caelis immortali gloria fruuntur; id impetret imprimis Deipara Virgo Maria, Sinarum Regina, quam vos tam incensa pietate adamatis ac colitis. Iis praesertim, qui in periculis, in angustiis, in carceribus, in exsilio versantur, solatrix potentissima adsit; iisque nominatim, qui apud vos, pacifica constituta sodalitate, eius servitio mancipantur eiusque gloriantur nomine, praesto sit, detque robur, solacium, auxilium.

Dum Nos ad Caelum supplices manus attollimus, ac christianae fortitudinis conciliatricem divinam vobis imploramus gratiam, huius auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis, singulis

[8] *Idem.* 5 5-12.
[9] *Act.* 5, 41.
[10] *Tertull. Apolog.* 50; *ML* I, 534.

universis, Venerabiles Fratres, tum cunctis gregibus pastorali sollertiae vestrae concreditis, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XVIII mensis Ianuarii, in festo Cathedrae Romanae S. Petri, anno MDCCCCLII, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

ADHORTATIO RADIOPHONICA

URBIS CHRISTIFIDELIBUS DATA, DIE DECIMA FEBRUARII MENSIS ANNO MCMLII

Dal Nostro cuore, diletti figli e figlie di Roma, vi giunge questa paterna esortazione; dal Nostro cuore inquieto, da un lato, per il prolungarsi, senza stabili schiarite, della pericolosa condizione esterna, dall'altro, per un troppo diffuso torpore, che trattiene molti dall'intraprendere quel ritorno a Gesù Cristo, alla Chiesa, alla vita cristiana, che abbiamo spesso indicato come il risolutivo rimedio della totale crisi che agita il mondo. Ma la fiducia di trovare in voi il conforto della comprensione e la ferma prontezza all'azione Ci ha mossi ad aprirvi l'animo Nostro. Un grido di risveglio oggi ascoltate dalle labbra del vostro Padre e Pastore, di Noi che non possiamo restar muti ed inerti dinanzi ad un mondo, che prosegue inconsciamente per quelle vie, le quali menano al baratro anime e corpi, buoni e malvagi, civiltà e popoli. Il sentimento della Nostra responsabilità davanti a Dio richiede da Noi di tutto tentare, di tutto intraprendere, affinchè al genere umano sia risparmiata una così immane sciagura.

Per confidarvi queste Nostre ansie abbiamo scelto la festività, domani ricorrente, della Vergine di Lourdes, perchè commemora le prodigiose apparizioni, che, circa cento anni fa, furono, in quel secolo di sbandamento razionalistico e di depressione religiosa, la risposta misericordiosa di Dio e della sua Madre celeste alla ribellione degli uomini, l'irresistibile richiamo al soprannaturale, il primo passo per una progressiva ripresa religiosa. E quale cuore di cristiano, sia pure tiepido e dimentico, potrebbe resistere alla voce di Maria? Non certo i cuori dei Romani, di voi che avete ereditato, trasmesso per lunghi secoli, insieme con la fede dei Martiri, il filiale affetto a Maria, invocata nelle sue venerande Immagini con gli amorosi titoli di lapidaria eloquenza « Salus Populi Romani », « Portus Romanae Securitatis » e con quello più recente

di « Madre del Divino Amore », i quali tutti sono monumenti della costante pietà mariana, e, più veramente, soavi echi di una storia di provati interventi della Vergine nelle pubbliche calamità, che fecero trepidare queste vecchie mura di Roma, per virtù di Lei sempre salva. Ora voi non ignorate che ben più estesi e gravi, quali non furono nè le pesti nè i cataclismi tellurici, sono i pericoli che incombono tuttora sulla presente generazione, anche se la loro perdurante minaccia ha cominciato a rendere i popoli pressochè insensibili ed apatici. Sarebbe forse questo il più infausto sintomo della interminabile ma non svigorita crisi, che fa tremare le menti aperte alla realtà? Rinnovato quindi il ricorso alla benignità di Dio e alla misericordia di Maria, è d'uopo che ciascun fedele, ciascun uomo di buona volontà, riesamini con risolutezza degna dei grandi momenti della storia umana, quanto personalmente possa e debba fare, come suo contributo all'opera salvifica di Dio, per venire in soccorso di un mondo, avviato com'è oggi verso la rovina.

La persistenza di una condizione generale, che non dubitiamo di chiamare esplosiva ad ogni istante, e la cui origine deve ricercarsi nella tepidezza religiosa di tanti, nel basso tono morale della vita pubblica e privata, nella sistematica opera d'intossicazione delle anime semplici, a cui il veleno è propinato dopo averne, per così dire, narcotizzato il senso della genuina libertà, non può lasciare i buoni immoti nel medesimo solco, contemplatori inerti di un travolgente avvenire.

Lo stesso Anno Santo, che arrecò una prodigiosa fioritura di vita cristiana, dischiusasi prima in mezzo a voi, e poi in ogni dove sulla terra, non deve riguardarsi come una splendente ma fuggevole meteora, nè come un impegno momentaneo ormai scontato, bensì come primo e promettente passo verso la completa restaurazione dello spirito evangelico, che oltre a strappare milioni di anime dalla eterna rovina, è il solo che possa assicurare la pacifica convivenza e la feconda collaborazione dei popoli.

Ed ora è tempo, diletti figli! È tempo di compiere gli altri definitivi passi; è tempo di scuotere il funesto letargo; è tempo che tutti i buoni, tutti i solleciti dei destini del mondo, si riconoscano e serrino le loro file; è tempo di ripetere con l'Apostolo « *Hora est iam nos de somno surgere* ».[1] È ora che ci svegliamo dal sonno, poichè vicina è adesso la nostra salvezza!

È tutto un mondo, che occorre rifare dalle fondamenta, che bisogna trasformare da selvatico in umano, da umano in divino, vale a dire

[1] *Rom.*, 13, 11.

secondo il cuore di Dio. Da milioni di uomini si invoca un cambiamento di rotta, e si guarda alla Chiesa di Cristo come a valida ed unica timoniera, che, nel rispetto della umana libertà, possa essere alla testa di così grande impresa, e s'implora la guida di lei con aperte parole, e anche più con le lacrime già versate, con le ferite ancora doloranti, additando gli sterminati cimiteri, che l'odio organizzato ed armato ha disteso sui continenti.

Come potremmo Noi, posti da Dio, sebbene indegni, fiaccola nelle tenebre, sale della terra, Pastore del gregge cristiano, respingere questa missione salutifera? Come accettammo, in un giorno ormai lontano, perchè a Dio così piacque, la pesante croce del Pontificato, così ora Ci sottomettiamo all'arduo ufficio di essere, per quanto lo permettono le Nostre deboli forze, araldi di un mondo migliore, da Dio voluto, e il cui vessillo bramiamo in primo luogo di consegnare a voi, diletti figli di Roma, a Noi più vicini e alle Nostre cure più particolarmente affidati, e per ciò stesso anche voi posti quali fiaccole sul candelabro, lievito tra i fratelli, città sul monte; a voi, dai quali a buon diritto altri si attendono maggior coraggio e più generosa prontezza. Accogliete con nobile impeto di dedizione, riconoscendola come chiamata di Dio e degna ragione di vita, la santa consegna, che il vostro Pastore e Padre oggi vi affida: dare inizio a un potente risveglio di pensiero e di opere. Risveglio che impegni tutti, senza evasione di sorta, il clero ed il popolo, le autorità, le famiglie, i gruppi, ogni singola anima, sul fronte del rinnovamento totale della vita cristiana, sulla linea della difesa dei valori morali, nell'attuazione della giustizia sociale, nella ricostruzione dell'ordine cristiano, cosicchè anche il volto esterno dell'Urbe, dai tempi apostolici centro della Chiesa, appaia in breve tempo fulgido di santità e di bellezza.

L'Urbe, su cui ogni età ha impresso l'orma di gloriose attuazioni, divenute poi eredità delle genti, riceva da questo secolo, dagli uomini che oggi la popolano, l'aureola di promotrice della salvezza comune in un tempo in cui contrastanti forze si contendono il mondo. Tanto sperano da lei i popoli cristiani, e soprattutto aspettano *azione!*

Non è questo il momento di discutere, di cercare nuovi principî, di assegnare nuovi scopi e mète. Gli uni e gli altri, già noti ed accertati nella loro sostanza, perchè insegnati da Cristo stesso, chiariti dalla secolare elaborazione della Chiesa, adattati alle immediate circostanze dagli ultimi Sommi Pontefici, attendono una cosa sola: la concreta attuazione.

A che gioverebbe lo scrutare le vie di Dio e dello spirito, se in pratica

si eleggessero le strade della perdizione e si piegasse docile il dorso al flagello della carne? A che servirebbe il conoscere e il dire che Dio è Padre e gli uomini sono fratelli, quando di Lui si temesse ogni intervento nella vita privata e pubblica? A che varrebbe il disputare sulla giustizia, sulla carità, sulla pace, se la volontà fosse già risoluta a rifuggire dalla immolazione, il cuore determinato a rinchiudersi in glaciale solitudine, e se nessuno osasse per primo infrangere le barriere dell'odio separatore, per correre ad offrire un sincero abbraccio? Tutto questo non farebbe che rendere più colpevoli i figli della luce, ai quali sarà meno perdonato, se avranno meno amato. Non con questa incoerenza ed inerzia la Chiesa mutò ai suoi inizi la faccia del mondo, e si estese rapidamente, e perdurò benefica nei secoli, e riscosse l'ammirazione e la fiducia dei popoli.

Sia ben chiaro, diletti figli, che alla radice dei mali odierni e delle loro funeste conseguenze non sta, come nei tempi pre-cristiani o nelle regioni ancora pagane, l'invincibile ignoranza sui destini eterni dell'uomo e sulle vie maestre per conseguirli: bensì il letargo dello spirito, l'anemia della volontà, la freddezza dei cuori. Gli uomini da una tale peste ammorbati, quasi a giustificazione, tentano di circondarsi delle antiche tenebre e cercano un alibi in nuovi e vecchi errori. Bisogna dunque agire sulle loro volontà.

L'azione, a cui oggi chiamiamo Pastori e fedeli, rifletta quella di Dio: sia illuminatrice e unificatrice, generosa ed amorevole. A questo scopo, ponendovi dinanzi allo stato concreto della vostra e Nostra città, studiatevi che siano ben accertati i bisogni, ben chiare le mète, ben calcolate le disponibili forze, in guisa che le presenti risorse iniziali non vengano trascurate perchè ignorate, nè disordinatamente impiegate, nè sciupate in attività secondarie. S'invitino le anime di buona volontà; esse stesse si offrano spontaneamente. Loro legge sia la fedeltà incondizionata alla persona di Gesù Cristo e ai suoi insegnamenti. La loro oblazione sia umile ed obbediente; la loro opera s'inserisca come elemento attivo nella grandiosa corrente, che Dio moverà e condurrà per mezzo dei suoi ministri.

A tal fine Noi invitiamo il Nostro Venerabile Fratello, il Signor Cardinale Vicario, ad assumere l'alta direzione, per la diocesi di Roma, di quest'azione rigeneratrice e salvatrice. Siamo certi che non mancheranno, nè per numero nè per qualità, i cuori generosi, che accorreranno alla Nostra chiamata e che metteranno in atto questo Nostro voto. Vi sono anime ardenti, che attendono ansiosamente di essere convocate; all'impaziente loro fremito si additi il vasto campo da dissodare. Altre

ve ne sono sonnacchiose, e occorrerà destarle; trepide, e bisognerà incoraggiarle; disorientate, e si dovrà guidarle. Di tutte si chiede un saggio inquadramento, un assennato impiego, un ritmo di lavoro corrispondente alla urgente necessità di difesa, di conquista, di positiva costruzione. In tal guisa Roma rivivrà la sua secolare missione di maestra spirituale delle genti, non soltanto, come fu ed è, per la Cattedra di verità, che Dio stabilì nel suo centro, ma per l'esempio del suo popolo, tornato fervido nella fede, esemplare nei costumi, concorde nell'adempimento dei doveri religiosi e civili, e, se piacerà al Signore, prospero e felice. Volentieri Ci auguriamo che il potente risveglio a cui oggi vi esortiamo, senza indugio promosso e tenacemente proseguito secondo il disegno tracciato, e che altri potranno più particolarmente illustrare, sarà presto imitato dalle vicine e lontane diocesi, affinchè ai Nostri occhi sia concesso di vedere tornare a Cristo non soltanto le città, ma le nazioni, i continenti, l'umanità intera.

Mano dunque all'aratro: vi muova Dio che tanto vuole, vi attragga la nobiltà dell'impresa, vi stimoli la sua urgenza; il giustificato timore del tremendo avvenire, che deriverebbe da una colpevole inerzia, vinca ogni titubanza e fissi ogni volontà.

Vi sorreggeranno le preghiere degli umili e dei piccoli, ai quali vanno le vostre più tenere cure, i dolori accettati ed offerti dei sofferenti. Feconderanno i vostri sforzi gli esempi e l'intercessione dei Martiri e dei Santi, che questo suolo resero sacro. Benedirà e moltiplicherà il felice successo, per cui ardentemente preghiamo, la Vergine Santissima, la quale, se in ogni tempo fu pronta a stendere la sua mano tutrice sui suoi Romani, non dubitiamo che vorrà far sentire anche al presente la sua materna protezione per questi figli, che tanta affettuosa pietà dimostrarono nella sua recente glorificazione, e di cui in questo cielo risuona ancora il potente grido di osanna.

Vi sia infine di conforto e di sostegno la paterna Benedizione Apostolica, che con effusione di animo impartiamo a tutti voi, che Ci ascoltate, alle vostre famiglie, alle vostre opere e a questa eterna Città, la cui fede, già dai tempi dell'Apostolo, è annunziata nel mondo universo,[2] e la cui cristiana grandezza, faro di verità, di amore e di pace, s'infutura nei secoli. Così sia!

[2] Cfr. *Rom.*, 1, 8.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CACERENSIS

(LEGASPIENSIS ET SORSOGONENSIS)

E TRIPARTITO DIOECESIS CACERENSIS TERRITORIO DUAE NOVAE DIOECESES ERIGUNTUR, LEGASPIENSIS ET SORSOGONENSIS NOMINE; QUATUOR INSUPER PROVINCIAE ECCLESIASTICAE IN INSULIS PHILIPPINIS CONSTITUUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo in Philippina Republica melius ac facilius dominici gregis regimini et animorum saluti prospici possit, peropportunum visum est novas illic erigere dioeceses novasque constituere provincias ecclesiasticas, attenta potissimum locorum rerumque ratione.

Libenti itaque animo, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum, favorabili habita sententia venerabilium Fratrum tum Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi Myrensis et in Philippinis Insulis Nuntii Apostolici, cum Sacrorum Antistitum, quorum id interest, Nobis oblatas preces excipiendas duximus atque, omnibus mature perpensis, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur statuere decernimus, quam maxime in Domino confisi id rei catholicae in illa Republica valde profuturum esse.

I. Ab amplissimo dioecesis Cacerensis territorio civiles provincias vulgo *Albay, Catanduanes, Sorsogón, Masbate* et *Legaspi* nuncupatas distrahimus et novas erigimus dioeceses Legaspiensem et Sorsogonensem appellandas: proinde dioecesis Cacerensis hinc continebitur intra fines civilium provinciarum, quibus vulgo nomina *Camarines Norte* et *Camarines Sur;* dioecesis Legaspiensis intra fines continebitur provinciarum civilium *Catanduanes* et *Albay,* ad quam pertinent etiam insulae *Cagraray, Batán* et *Rapu Rapu* vulgo nuncupatae; dioecesis autem Sorsogonensis territorium amplectetur civilium provinciarum *Sorsogón* et *Masbate.*

Dioecesis Legaspiensis episcopalem sedem in urbe statuimus *Legaspi*, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum evehimus, et templum Deo in honorem S. Gregorii M. dicatum ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem extollimus; dioecesis vero Sorsogonensis sedem in *Sorsogón* constituimus et paroeciale templum Deo in honorem Ss. Apostolorum Petri et Pauli dicatum, in Cathedralem elevamus. Cathedralibus quas diximus Ecclesiis earumque pro tempore Episcopis iura omnia insignia, privilegia, favores attribuimus, quibus ceteri per orbem Praesules et Ecclesiae Cathedrales iure communi fruuntur; simulque eosdem oneribus et obligationibus astringimus, quibus ceteri Episcopi ligantur. Ut vero iisdem Cathedralibus Ecclesiis nihil desit decoris et divinus cultus eo quo par est splendore exerceatur, in utraque constituendum volumus Capitulum Cathedrale, iuxta normas per alias Apostolicas Litteras edendas; quamdiu vero Canonicorum hic desit Episcopi senatus, pro eo dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Utriusque porro dioecesis mensam episcopalem, praeter bona quae ex bonorum partitione mensae episcopalis Cacerensis ad ipsas spectant, Curiae emolumenta et fidelium oblationes constituent. Singulis autem dioecesium Episcopis summopere curae sit minus saltem seminarium in propria dioecesi constituere ad normam iuris canonici et iuxta regulas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus statutas, ex quo electi iuvenes Romam mittentur in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, ut in spem Ecclesiae rite instituantur. Quod autem attinet ad novarum istarum dioecesium regimen, administrationem, Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt, adamussim teneantur. Quod vero ad clericos peculiariter spectat, statuimus ut ipsi, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso dioecesi illi censeantur ascripti, in cuius territorio legitime degunt. Volumus insuper ut documenta et acta novas respicientia dioeceses a Curia Cacerensi ad Curias Legaspiensem et Sorsogonensem quam primum fas erit transmittantur in propriis archivis rite asservanda.

II. Ad novas deinde in Republica illa Provincias constituendas animum Nostrum convertentes, de eadem apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, primum quidem a metropolitico archiepiscopalis Ecclesiae eiusque Archiepiscopi Manilensis iure eximimus sedes episcopales Lingayensem, Cacerensem, Novae Segobiae, Tuguegaraoanam, Legaspiensem, Sorsogonensem, Praelaturam *nullius* Batanensem et Babuyanen-

sem; item a metropolico iure metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu seu Caebuanae, huiusque Archiepiscopi absolvimus dioeceses Bacolodensem, Cagayanam, Capicensem, Iarensem seu S. Elisabeth, Surigensem, Zamboangensem atque Praelaturas *nullius* Cotabatensem et Suluensem, Davaënsem ac Ozamisanam.

Quibus dioecesibus et Praelaturis *nullius* ita exemptis, quatuor novas erigimus ecclesiasticas Provincias Novae Segobiae, Cacerensem, Iarensem seu S. Elisabeth et Cagayanam appellandas, atque eiusdem nominis sedes hucusque episcopales ad gradum et dignitatem Ecclesiarum Archiepiscopalium et Metropolitanarum evehimus. Istis porro erectis Metropolitanis Ecclesiis earumque Antistitibus omnia et singula attribuimus iura, privilegia et praerogativas, quibus ceterae per orbem Metropolitanae Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur; eisdemque oneribus et obligationibus astringimus, quibus ceterae huiusmodi Ecclesiae et earum Antistites astringuntur.

Hinc venerabiles Fratres Iacobum C. Sancho, Episcopum Novae Segobiae, Petrum Paulum Santos Songco, Episcopum Cacerensem, Iosephum Mariam Cuenco, Episcopum Iarensem seu S. Elisabeth, Iacobum Thomam G. Hayes, Episcopum Cagayanum, eorumque in pontificatu successores, Archiepiscoporum titulo posthac decorabuntur, cum peculiari facultate deferendi ante se intra fines cuiusque archidioecesis Crucem et sacro Pallio utendi, sicut ceteri Archiepiscopi, postquam tamen hoc in Consistorio postulatum et obtentum fuerit.

Novis insuper Metropolitanis Ecclesiis, uti supra erectis suffraganeas constituimus: Novae Segobiae cathedrales Ecclesias Lingayensem, Tuguegaraoanam, Praelaturam *nullius* Batanensem et Babuyanensem et Vicariatum Apostolicum Montanum; Cacerensi modo erectas cathedrales Ecclesias Legaspiensem et Sorsogonensem; Iarensi, seu S. Elisabeth cathedrales Ecclesias Bacolodensem et Capicensem; Cagayanae cathedrales Ecclesias Surigensem, Zamboangensem, Praelaturas *nullius* Cotabatensem et Suluensem, Davaënsem ac Ozamisanam. Harum ideo Suffraganearum Ecclesiarum Praesules suorum cuiusque Archiepiscoporum metropolitico iuri subicimus. Proinde Metropolitanae Ecclesiae Manilensi in posterum suffraganeae erunt cathedrales Ecclesiae Lipensis, Lucenensis, Sancti Ferdinandi et Praelatura *nullius* Infantensis, atque Praefectura Apostolica Mindorensis, in Vicariatum Apostolicum nomine Calapanensem proxime evehenda, et de Palawana. Metropolitanae autem Ecclesiae Nominis Iesu seu Caebuanae suffra-

ganeae erunt cathedrales Ecclesiae Calbayogana, Palensis et Tagbilarana.

Fines Provinciae ecclesiasticae Manilensis ii erunt, quibus comprehenduntur archidioecesis Manilensis et dioeceses Lipensis, Lucenensis, Sancti Ferdinandi, Praelatura *nullius* Infantensis, Vicariatus Apostolicus Calapanensis et Praefectura Apostolica de Palawana; fines Provinciae Nominis Iesu seu Caebuanae ii erunt, quibus continentur archidioecesis Nominis Iesu et dioeceses Calbayogana, Palensis, Tagbilarana; Provinciae Novae Segobiae fines iidem erunt ac fines archidioecesis Novae Segobiae, dioecesium Lingayensis, Tuguegaraoanae, Praelaturae *nullius* Batanensis et Babuyanensis et Vicariatus Apostolici Montani; Provinciae Cacerensis fines illi erunt qui archidioecesim Cacerensem et novas dioeceses Legaspiensem et Sorsogonensem definiunt; Provinciae Iarensis seu S. Elisabeth fines iidem erunt ac fines archidioecesis Iarensis, et dioecesium Bacolodensis et Capicensis; fines tandem Provinciae Cagayanae iidem erunt ac fines archidioecesis Cagayanae, dioecesium Surigensis, Zamboangensis et Praelaturarum *nullius* Cotabatensis et Suluensis, Davaensis et Ozamisanae.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Insulis Philippinis Nuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praeerit, deligimus et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et ipsi onus facimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum autem Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam divisionis, erectionis, constitutionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae in-

fringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima nona mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 95.

II

SHILLONGENSIS
(DIBRUGARHENSIS)

DIOECESIS SHILLONGENSIS TERRITORIUM BIPARTITUR ET NOVA ERIGITUR DIOECESIS, DIBRUGARHENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad christianam plebem aptius regendam et ad fidem catholicam inter ethnicas gentes facilius disseminandam quam maxime iuvat dioeceses in nimium patentes territorium dispertire et novas exinde dioeceses constituere, aliis vigilantium Pastorum curis tradendas. Libenti itaque animo venerabilis Fratris Stephani Ferrando, Shillongensis Episcopi enixas preces excipiendas duximus, quibus postulabat, ut suae dioecesis amplissimum territorium bipartire et novam exinde dioecesim erigere decerneremus. De consilio igitur venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, consentiente quoque venerabili Fratre Leone Petro Kierkels, Archiepiscopo titulo Salaminensi et in India Internuntio Apostolico, Nos, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scien-

tia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a dioecesis Shillongensis territorio civiles districtus, qui vulgo nuncupantur *Lakimpur, Naga Hills, Sibsagar, Manipur,* seiungimus; horum autem districtuum territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, ab urbe *Dibrugarh* Dibrugarhensem nuncupandam; quam curis dilectorum Filiorum e Societate S. Francisci Salesii, iam ibi fructuose adlaborantium, ad Nostrum tamen et Sanctae Sedis beneplacitum, committimus. Decernimus insuper ut partes illius territorii civilis, quod a regione Tibetana quondam separatum Indiae accessit, veteri dioecesi Shillongensi et novae dioecesi Dibrugarhensi ita annectantur, ut regio vulgo *Balipara Frontier Tract* dioecesi Shillongensi unita sit, et regio *Sadya Frontier Tract* ad novam dioecesim Dibrugarhensem pertineat; ac binae istae dioeceses septentrionem versus cum Tibetano territorio fines habeant. Novam autem dioecesim Dibrugarhensem metropolitanae Ecclesiae Calcuttensi suffraganeam constituimus eiusque pro tempore Episcopos metropolitico Archiepiscopi Calcuttensis iuri subicimus. Episcopalem dioecesis sedem in *Dibrugarh* urbe figimus, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum evehimus cum omnibus iuribus et privilegiis ad civitates episcopales pertinentibus; Episcopi vero cathedram in ecclesia Sacratissimo Cordi Iesu dicata constituimus, quam idcirco ad ecclesiae cathedralis dignitatem et honorem extollimus; eidemque et pro tempore Episcopis Dibrugarhensibus omnia attribuimus iura, insignia, privilegia, honores, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur, illosque iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Volumus porro ut donec Canonicorum Capitulum cathedrale constitui poterit, ad iuris tramitem dioecesani Consultores interim eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit Seminarium saltem parvum erigatur iuxta normas a S. Congregatione Fidei Propagandae traditas, ut iuvenes in sortem Domini vocati in bonum Ecclesiae instituantur. Episcopalis novae dioecesis mensa constituatur Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent. Quod vero ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quoad clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Volumus denique ut documenta et

acta omnia, quae novam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, quam primum fas erit, a cancellaria dioecesis Shillongensis ad dioecesis Dibrugarhensis curiam transmittantur, ut in huius tabulario rite serventur.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in India Internuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praesit, deligimus, et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus iniungimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem Fidei Propagandae trasmittendi.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum autem Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam divisionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die duodecima mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 6.

III

MINDORENSIS
(CALAPANENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA MINDORENSIS IN VICARIATUM APOSTOLICUM, CALAPANENSEM DEINCEPS APPELLANDUM, EXTOLLITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Merito ab Apostolica Sede quaevis inter gentes, nondum evangelica luce penitus collustratas, enascens Ecclesia ad maioris dignitatis gradum evehi solet, si in ea per sedulos Missionalium labores catholica res uberes, Deo favente, tulerit fructus. Quod quidem in Praefectura Apostolica Mindorensi, in Insulis Philippinis, postremis potissimum hisce annis, factum fuisse laeto accepimus animo, ob sollertes curas sodalium Societatis a Verbo Divino, qui in illa plures iam annos allaborant. De consilio itaque venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, accedente favorabili sententia venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titulo Myrensis, in Philippinis Insulis Nuntii Apostolici, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, Apostolicam quam memoravimus Praefecturam Mindorensem in Vicariatum Apostolicum suprema Nostra auctoritate evehimus, quem deinceps ex Ordinarii sedis *Calapan* urbe, Calapanensem nuncupari decernimus, et iisdem, quos diximus, sodalibus Societatis a Verbo Divino, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, commissum volumus. Novo igitur huic Calapanensi Vicariatui Apostolico eiusque pro tempore Vicario Apostolico omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur, illosque iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae

hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam evectionis, constitutionis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die duodecima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 12.

IV

NEO PAMPILONENSIS ET SANCTAE MARTHAE (BERTRANIAE IN CATATUMBO)

TERRITORII PARTES A DIOECESIBUS NEO PAMPILONENSI ET SANCTAE MARTHAE SEIUNGUNTUR ET NOVA ERIGITUR PRAELATURA « NULLIUS » BERTRANIAE IN CATATUMBO.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In nimium territorium patentes dioeceses curat Apostolica Sedes dispertire novasque condere dioeceses, quo fructuosius christifidelium saluti aptiusque eorum regimini per Sacrorum Antistites consuli possit. Quo moti consilio, Nobis oblatis precibus annuendum censuimus, quibus expostulatum est ut, distractis territoriis dioecesium Neo Pampilonensis et Sanctae Marthae, nova possit erigi Praelatura *nullius*. Praehabitis itaque favorabilibus sententiis venerabilis Fratris Antonii Samorè, Archiepiscopi titulo Ternobeni et in Columbia Nuntii Apostolici, atque venerabilium Fratrum Raphaëlis Afanador et Cadena, Episcopi Neo Pampilonensis, et Bernardi Botero Alvarez, Episcopi Sanctae Marthae, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardina-

lium tum S. Congregationi Consistoriali cum S. Congregationi pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositorum, ac suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel earum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, Nos, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a dioecesi Neo Pampilonensi septentrionalem territorii partem ad orientem seiungimus: a dioecesi vero Sanctae Marthae territorii partem separamus, quae ad civilem provinciam vulgo *Norte Santander* pertinet; atque ex his distractis terris Praelaturam *nullius* erigimus et constituimus, cui nomen erit Bertrania in Catatumbo. Nova haec Praelatura *nullius* his continebitur finibus: ad occidentem communes limites provinciarum civilium vulgo *Norte Santander* et *Magdalena;* ad septentrionem et orientem communes limites Nationum Columbiae et Venetiolae; ad meridiem, confinium a loco ubi rivi vulgo *La Grita* et *Lobaterita* in unum confluunt directo attingit ferratae viae stationem, vulgo *La Jovilla*, a qua, ultra *Zulia* flumen, pervenit ad locum ubi rivi coeunt *La Legia* et *San Miguel;* inde descendit ubi flumen *San Miguel* rivo occurrit *Sardinata*, a quo loco recta via pervenit ubi amnes *La Danta* et *Nuevo* in unum confluunt; deinceps capita attingit rivorum *Nuevo* et *Tibù* atque locum ubi rivulus, capiti eiusdem rivi *Tibù* citimus, in flumen *Tarra* influit. Inde, rivi huius servato cursu usque ad locum ubi in flumen *Borra* influit et deinceps ubi oleiductus, qui ex pago *Petrolea* procedit, et rivus *Algodonal* vel *Catatumbo* inter se decussantur, limes sequitur alveum rivi *Catatumbo* usque ad locum ubi hic et amnis *Tiradera* coeunt; tandem huius amnis et rivi *Trinidad* servatis cursibus, pervenit usque ad *Guayabal* pagum. Novae huius Praelaturae *nullius* Bertraniae in Catatumbo Praelati sedem in condenda urbe constituimus, cui nomen erit *Bertrania*, ac templum Deo in honorem S. Ludovici Bertrand ibi dicandum, ad Ecclesiae Praelatitiae dignitatem evehimus; cui idcirco eiusque pro tempore Praesulibus iura omnia, privilegia, honores, insignia, favores et gratias attribuimus, atque onera et obligationes imponimus quae Ecclesiis Praelatitiis earumque Praelatis ad iuris normam sunt propria. Interim vero, donec Bertraniae urbis et Ecclesiae S. Ludovici Bertrand dicandae molitio perfecta fuerit, Ordinarius Praelatus *nullius* designabit sedem et ecclesiam, quae pro praelatitia ecclesia interim habeatur. Novam hanc Praelaturam *nullius* suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Carthaginensi in Columbia eiusque pro tempore Praelatos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Carthaginensis in Columbia. Indulgemus insuper ut pro Canonicorum Capitulo dioecesani Consultores

ad iuris tramitem interim eligantur et adhibeantur. Iubemus porro ut quam primum minus saltem seminarium erigatur ad clerum indigenam, ad iuris normam et iuxta regulas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus statutas, in spem Ecclesiae instituendum, ex quo electi iuvenes ad Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum in Urbem mittantur.

Mensam autem Praelatitiam constituent tum Curiae emolumenta, tum fidelium oblationes; quod vero ad divisionem bonorum attinet, servetur can. 1500 codicis iuris canonici. Quod vero ad Praelaturae istius regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Admnistratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur ascripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus denique ut documenta et acta omnia, quae novam hanc Praelaturam *nullius* eiusque fideles et temporalia bona respiciunt, a cancellariis dioecesium Neo Pampilonensis et Sanctae Marthae, quamprimum fas erit, ad Curiam Praelaturae Bertraniae in Catatumbo transmittantur in huius archivo rite servanda. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta perficienda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Columbia Nuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praesit, deligimus et ipsi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis, seu excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem

id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo quiquagesimo primo, die primo Augusti mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
IOSEPHUS Card. PIZZARDO

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 33.

V

CZESTOCHOVIENSIS

CANONICORUM CAPITULUM IN CATHEDRALI ECCLESIA ERIGITUR

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Peropportune sane iam ab antiquis temporibus in Ecclesiae sanctae disciplinam inductum est ut in cathedralibus praesertim templis Canonicorum Collegia habeantur, ex viris pietate ac doctrina praeclaris constantia, quorum sit proprium non modo in principe dioecesis aede splendidiori divino cultui dare operam, sed etiam, episcopali sede plena, sacrorum Antistiti, tamquam eius senatus, consilio adesse, et, sede vacante, dioecesim ad iuris normam regere.

Quam ob rem libenter preces admittendas duximus, quas venerabilis Frater Zdzislavus Golinski, Episcopus Czestochoviensis, nuper Nobis adhibuit ut, expleto feliciter anno vicesimo quinto a suae dioecesis erectione, Canonicorum Capitulum in sua cathedrali sede erigeretur. Nos itaque, existimantes Capitulum Cathedrale valde profuturum decori illius dioecesis, cui iam peculiari est honori imaginem Deiparae Virginis in perinsigni ac celeberrimo sanctuario colere, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, omnibus rite perpensis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua in-

teresse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur decernimus.

Canonicorum Capitulum in cathedrali Ecclesia Czestochoviensi erigimus et constituimus, quod quatuor constabit Dignitatibus: Praeposito, nempe, Decano, Scholastico et Custode, atque octo Canonicis, quorum alteri munus Canonici Theologi, alteri munus Canonici Poenitentiarii tribuetur. Dignitatum et Canonicatuum assignatio fiet ad iuris communis normam.

Quousque vero Dignitates et Canonicatus congruo beneficio aucti non fuerit, indulgemus ut assignari possint sacerdotibus alio instructis beneficio, etiam cum animorum curatione coniuncto, utque chorale officium Festis solemnioribus tantum peragatur, in capitularibus Constitutionibus designandis; in quibus igitur solummodo diebus Dignitates et Canonici obligatione teneantur apud Ecclesiam cathedralem residere. Episcopus tamen illos convocare poterit quoties id ei utile visum fuerit recto ipsius Capituli et Dioecesis regimini.

Cum autem non parum deceat illos qui in Episcopi consilium et senatum asciscuntur quibusdam condecorari peculiaribus insignibus, quibus a cetero Dioecesis clero differant, concedimus ut Dignitates et Canonici Cathedralis Czestochoviensis, intra fines dumtaxat Dioecesis et in capitularibus caerimoniis, pro chorali veste rochetum et supra ipsum, iuxta temporum opportunitatem, cappam violacei coloris, vel palliolum eiusdem coloris induere sibi valeant, atque signo capitulari e collo pendenti ornari, nec non anulum, servatis de iure servandis, gestare.

Volumus insuper ut capitulares constitutiones, ad iuris tramitem et secundum ea quae hisce Litteris statuta sunt, quam primum conficiantur, quas, ab Episcopo rite probatas, ab omnibus Dignitatibus et Canonicis religiose servari iubemus.

Quod vero ad cetera omnia quae ad Capitulum cathedralem attinent, officia, scilicet, munera, iura et privilegia adamussim serventur iuris communis normae; ac propterea, Capitulo constituto, Consultores dioecesani a suo munere cessabunt.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Zdzislavum Golinski, Episcopum Czestochoviensem, delegamus, eidemque necessarias ad id et opportunas facultates attribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, cui onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum, cum fas erit, transmittendi.

Praesentes autem Litteras validas et efficaces esse et fore suosque

plenos et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quovis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, derogationis, delegationis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die quinto mensis Augusti, in Dedicatione S. Mariae ad Nives, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 44.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BASILICAE MINORIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS AFFICITUR CURIALE TEMPLUM SANCTI SEPULCHRI IN CIVITATE ET DIOECESI BAROLENSI EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Maxima est apud urbis Baruli incolas religio et antiquitas Aedis Sancti Sepulchri, quae artificiosis affluit operibus, cultu renidet eximio, rerum veterum floret memoria et a plebe christiana etiam plurimum celebratur. Templum, cui tholus est impositus, amplitudine quidem atque mole praestans, generis « Roma-

nici-Apuli » lineamentis egregie est conformatum. Conspicitur ibi, non sine admiratione, Simulacrum Beatae Mariae Virginis, Byzantio more effictum, Sanctae Crucis theca pretii singularis, sacri codices, alias inventu rari, imagines saeculo XII udo illitae coloribus. Fuit hoc Templum, quod anno circiter MC excitatum esse ferunt, olim Canonicorum Regularium Sancti Augustini, qui aetate sacrarum expeditionum in natalem Iesu Christi Terram, militibus cruciferis ac peregrinatoribus christianam adhibebant levationem. In quorum locum postea substitutum est Collegium Canonicorum saecularium, quod saeculo proxime expleto fuit dissolutum. Quo autem civium commodo satius consuleretur, hoc religionis domicilium anno MCMVIII curiae sedes est constitutum. Ut igitur Aedis, multis de causis ad laudem insignis, decus augeretur, Venerabilis Frater Reginaldus Iosephus Maria Addazi, Archiepiscopus Tranensis, Barolensis et Nazarenus idemque Vigiliensis Administrator Apostolicus, impensas ad Nos admovit preces ut Templum, quod diximus, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus libenti animo auditis collatisque consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum curiale Templum Sancti Sepulchri in civitate et archidioecesi Barolensi exstans, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* condecoramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis quae Aedibus eodem honore insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

II

SANCTA VERONICA A IULIANIS, VIRGO, UTRIUSQUE DIOECESIS URBANIENSIS ET SANCTI ANGELI IN VADO PATRONA CAELESTIS DECLARATUR AEQUE PRINCIPALIS RESPECTIVE CUM SANCTO CHRISTOPHORO ET SANCTO MICHAËLE ARCHANGELO.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Tot in periculis constituti huiusque saeculi tumescentibus iactati fluctibus, Christifideles deprecationem Sanctorum Caelitum, qui Divinam Maiestatem perpetuis adorant obsequiis, non perperam exposcunt. Huiusmodi consiliis incitati, sacrorum administri ac populi dioeceseon Urbaniensis et Sancti Angeli in Vado, quarum altera Sancti Christophori iam utitur caelesti praesidio, altera Sancti Michaëlis Archangeli, etiam in communem se statuerunt committere tutelam Sanctae Veronicae a Iulianis, Virginis, utpote natae in oppido « Mercatello », intra fines dioecesis Urbaniensis. Itaque Venerabilis Frater Ioannes Capobianco, Episcopus Urbaniensis et Sancti Angeli in Vado, preces Nobis adhibuit ut hanc electionem Nostra auctoritate ratam habere ac confirmare dignaremur. Quibus libenti animo admissis, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctam Veronicam a Iulianis, Virginem, utriusque dioecesis Urbaniensis et Sancti Angeli in Vado Caelestem apud Deum *Patronam* aeque principalem cum Sancto Christophoro Martyre et Sancto Michaële Archangelo, confirmamus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus dioeceseon Patronis rite competunt additaque facultate novensilis Patronae festi sub ritu duplici primae classis, cum Officio et Missa propriis et approbatis, die IX mensis Iulii quotannis celebrandi. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, su-

per his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Maii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

ECCLESIA BEATAE MARIAE V. IN CAELUM ASSUMPTAE SACRA IN MONTE « CREA » INTRA CASALENSIS DIOECESIS FINES, BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS COHONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In summo colle « Crea » nuncupato, ex quo omnem Montis Ferrati et Casalensis dioecesis regionem conspicias, nobile exstat templum, Almae Deiparae caelo receptae sacrum, quod eius terrae quasi caput est ac domicilium religionis. Sunt qui dicant Sanctum Eusebium, Episcopum Vercellensem, cum ab exilio revertisset, simulacrum Beatae Mariae Virginis in aedicula, montis in vertice a se excitata, locavisse. Quam cum gliscens in dies multitudo adiret rex Harduinus templum ibi exstruxit, quod pluries postea amplificatum est atque refectum, ita ut generis « Baroci » elegantem denique praeferret speciem. Iamvero duo sacella ad tam exquisitae artis rationem sunt composita ut publicis Italiae monumentis accenserentur; post maximum altare Assumptio Dei Genetricis a magni nominis viro, Gulielmo Caccia, quem et « Moncalvo » appellant, fuit coloribus expressa luculenter, quae imago die V mensis Augusti, anno MDCCCLXXXX, sollemni ritu aurea redimita est corona. Praeterea collem ascendentibus XXV aediculae obiciuntur, ubi res potiores, quibus vita D. N. Iesu Christi et Beatae Mariae Virginis inclaruit, artificiose sunt effictae. In hoc igitur salutis perfugium animorumque placidum recessum non solum Christifideles plurimi, sed etiam lectissimi homines, inter Sanctos vel Beatos Caelites iam ascripti, Purpurati Patres, Sacrorum Antistites aliique viri e prioribus olim se contulerunt neque modo residit populi probatum studium et frequentia. Postquam autem non ante multum tempus, orbe Catholico

exsultante, dogma Nos certo oraculo definivimus Almam Deiparam corpore et anima ad caelestem gloriam esse evectam, hoc templum vel insignius evasit ad laudem et memoriam; quin, ut accepimus, proximo mense Augusto, sollemnis ibi per hebdomadam agetur conventus, in quo Assumptae Virginis nomen merito celebretur honore, Christifideles ad adipiscenda munera superna per prorogati Iubilaei annum impensius excitentur precibusque exposcatur Dei adiumentum pro synodo e dioecesi mox cogenda. Quarum rerum ut perenne exigeretur monumentum, Venerabilis Frater Iosephus Angrisani, Episcopus Casalensis, vota quoque depromens cleri ac plebis christianae, Nos rogavit ut Aedem, quam diximus, Basilicae Minoris dignitate et iure donaremus. Quibus supplicationibus libenti animo concedentes, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Ecclesiam, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae sacram et in monte « Crea », intra Casalensis dioecesis fines, positam, titulo *Basilicae Minoris* afficimus et exornamus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis quae templis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Maii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

SANCTUS MARTINUS, C., EPISCOPUS TURONENSIS, TOTIUS ITALICI PEDITATUS APUD DEUM PATRONUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Militaris virtus ut cum pietate in Deum et pauperum studio coniungeretur, nonnisi Christiana gentium humanitate parta et Ecclesiae familia per orbem constituta atque propagata, fieri potuisse omnibus persuasum est. Haud mirum proinde si ab antiquis Ecclesiae temporibus sanctus Martinus, natione Pannonius, aliquantum vero in Italia, diu autem in Gallia commoratus, apud omnes Europae populos maximo habitus sit honore. Qui enim strenuus bellator fuit, adeo ut, quasi esset ignavus miles et timidus incusatus, inter concrepantia arma atque contra hostem munitissimum inermis voluerit pugnare; et idem, nondum christianus sed catechumenus, omnibus Evangelicis virtutibus, in Deum praesertim et in fratres caritate, fulgide micuit, cum, ut neminem latet, stipendia adhuc merens, pretiosam suam chlamydem, gladio discissam, algenti cuidam pauperi, Christi nomine supplicanti, promptus laetusque donavit. Quae dimidiata chlamys, uti fertur, tamquam reliquiae continuo habita et in sacra Aede pie asservata, a Francorum Regibus in bellicum est signum conversa atque in vexillum christianae victoriae praenuntium. Idem autem sanctus Martinus, militiae vacatione obtenta et Baptismi gratia tandem recepta, et monachus et abbas et denique Turonensis Episcopus, christianis quoque progredientibus virtutibus, intrepidus esse miles, attamen Christi, numquam desiit. Quam ob rem non modo populi, sed etiam plures exercitus in Eius se fidem commiserunt, Eumque, in rerum discrimine constituti, non frustra exorarunt; prae primis sane Galliae milites ac deinde Allobroges et Pedemontani, eorum finitimi, et denique Itali omnes. Quae cum ita sint, a Venerabili Fratre Carolo Alberto Ferrero di Cavallerleone, Archiepiscopo titulo Trapezuntino, Ordinario Militari pro Italia, enixa Nobis oblata sunt vota, quibus, a rebus militaribus Administro favente, Consilium supremum Italico Exercitui praepositum a Nobis postulavit ut sanctum Martinum Turonensem totius Italici Peditatus caelestem Patronum benigne confirmare et denuo renuntiare dignaremur. Nos porro, ut patrocinium hodie declaratum peditum ex Italia animos ita excitet ad pietatem, quemadmodum in renuntiatione Tutorum Caelestium aliis Exercitus ordinibus iam attributorum evenit,

huiusmodi precibus perlibenti annuendum censemus animo. Qua propter, ex consulto Sacrae Rituum Congregationis, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctum Martinum, Confessorem et Episcopum Turonensem, praecipuum totius Italici Peditatus apud Deum *Patronum*, omnibus et singulis liturgicis privilegiis atque honoribus adiectis, quae praecipuis Coetuum Patronis caelestibus rite competunt, confirmamus, constituimus ac declaramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Maii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULA

AD REV.MUM P. ARCADIUM LARRAONA, S. CONGREGATIONIS DE RELIGIOSIS A SECRETIS, COMMENTARII, « MONITOR ECCLESIASTICUS » APPELLATI, MODERATOREM: SEPTUAGESIMOQUINTO REVOLUTO ANNO AB EIUSDEM COMMENTARII ORTU.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Haud mediocri animi oblectamento accepimus affabre compactum volumen, fasciculos exhibens Commentarii cui nomen Monitor Ecclesiasticus superiore anno in vulgus editos, quod Nobis pietatis testimonio deferendum nuper curasti. Eius enim cum volveremus pagellas, menti Nostrae statim patuit dives fructuum seges, quae ex hoc Commentario utriusque sacrae

militiae sodalibus maturuit per emensum LXXV annorum spatium postquam ortum est, imprimisque per id tempus quo ipse eius auctor, desideratissimus nempe Cardinalis Casimirus Gennari, eximia qua praeditus erat iuris peritia, moderator quoque ac potissimus exstitit scriptor.

Cuius quidem de Ecclesiae disciplina egregie meriti viri modo, ut libenter novimus, exemplum sequuti, nonnuli ex iis qui Nobis in Romana Curia auxiliatricem navant operam, idem in quod ille intenderat propositum Commentarium excudendo peragere connituntur, et, quoad munera cuiusque sua concedunt, quae ad commune civitatis christianae bonum apostolica praescribuntur auctoritate, in religionis ministros proferre atque interpretari contendunt. Quod navitatis coeptum haud modica laude et commendatione Notra dignum esse ducimus, cum negotium agatur quo firmandae provehendaeque religiosae populi consuetudini prospicitur per vulgatam sacrarum legum notitiam earumque mentis dilucidam idoneamque explicationem. Quantum vero utilitatis et ponderis prae se ferat congruens doctaque legum commentatio ex ipsa elucet Celsi sententia, in qua legitur: « Scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem ».[1]

Praecipuam itaque benevolentiam Decessorum Nostrorum ac Nostram in Commentarium istud, hac oblata opportunitate, confirmantes, laeta promimus vota ut idem, larga adiutorum manu usque fruens, lucis suae flammam vigentiorem in dies alere valeat; intereaque, grata pro dato munere voluntate, tibi, dilecte fili, iisque omnibus qui tecum illud, sive conscribendo sive legendo sive qualibet alia ratione, sustinent foventque, superni praesidii nuntiam, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die Natali Domini anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

[1] *D. I*, 3 17.

ALLOCUTIO

*Ad Excmum Virum Raul Yrarrázaval, Chilensis Reipublicae Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem.**

Señor Embajador:

Cual símbolo de una esperanza, tan lisonjera como rica en promesas, recibimos hoy a un Embajador Extraordinario y Plenipotenciario de la República de Chile, cuyo ilustre apellido es el mismo de aquel que, bajo el pontificado de Nuestro Predecessor de santa memoria Pío IX, tuvo el honor de ser le primer representante diplomático de su país ante esta Sede de Pedro; a una personalidad que, en los mismos términos con que ha acompañado la presentación de sus Cartas Credenciales, ha dejado ya entrever los nobles sentimientos con que da principio a su alta misión.

Son afectos brotados espontáneamente del conocimento de aquellos íntimos vínculos que unen al fiel pueblo chileno con esta Santa Sede; vínculos que es imposible separar de su historia, desde los días en que aquel remoto «confín del mundo» se abría a los ojos atónitos de los atrevidos descubridores, hasta los tiempos más recientes, cuando, por ejemplo, el nombre de Chile recorría en triunfo la vieja Europa en el verbo facundo de un gran chileno y un gran prelado: Don Ramón Angel Jara, obispo de La Serena.

Pero estos lazos, Señor Embajador, sabe perfectamente Vuestra Excelencia que no significan sólo una tradición nobilísima; toda la parte sana de su pueblo los concibe justamente como una función actual, viva y vivificante, de la que fluyen insustituibles impulsos morales hacia una gradual, y al mismo tiempo vigorosa, solución de los problemas que agobian hoy a la humanidad bajo todos los cielos.

Como descendiente de alguien que, con los audaces conquistadores, holló entre los primeros la tierra chilena y fué consiguientemente testigo, no sólo de la epopeya que mereció ser cantada en estrofas inmortales, sino también de la pacífica conquista realizada por los soldados de la Cruz, Vuestra Excelencia sabe comprender perfectamente la parte predominante que jugaron las ansias misioneras de la Madre Patria en

* Habita die 29 Ianuarii mensis a. 1952.

la formación espiritual de aquellos numerosos países de América que, como el noble pueblo chileno, se precian de haber recibido de ella la verdadera Religión y la lengua y cultura hispánicas.

Como aprovechado alumno de la Universidad Católica de su espléndida capital, ha podido penetrarse íntimamente de las ideas y de los sublimes fines que entrañan la concepción cristiana del Estado y de la ordenación social.

Como experto organizador, finalmente, en las filas de « Pax Romana » y de la Acción Católica, ha podido profundizar en la doctrina y en las metas espirituales que la Iglesia se propone, sacando del Santo Evangelio el vigor necesario para combatir en favor de una paz, que haga justicia a todos los pueblos y les allane los caminos del auténtico progreso.

